

SCALA

est corruptio nostri lapidis. Idcirco terra corporum calcinatur post extractionem æris, ut a sulphureitatibus falsis, & combustionibus sit optime depurata. Ergo constat quod si tunc materia corruptibilis non esset posita per corruptionem lapidis, nunquam oporteret eam purgari.

Et cum sic necesse est, ut post corruptionem lapidis compositum depuretur ipsius lapidis, ab omnibus suis sordibus, post separationem illius per quatuor elementa, cum distillatione et calcinatione, antequam Mercurius coniungatur cum corpore, ad incipiendam realem preparationem, quæ est creatio nostri lapidis.

Ideo necesse est quod lapis diuidatur per quatuor elementa cum distillatione & calcinatione. Et ista diuisio est solummodo, ut substantia lapidis sit fortiter munda, & quod totum sit purus Mercurius, qui portat in se proprietatem fundendi & fixandi. Tunc quando vis corpus dissoluere post suam calcinationem, dissolue illud cum *Aqua uite.* argento viuo, tracto ab ipso purificato septena distillatione, quoniam tunc corpus est multum efficax, ad penetrandum & intrandum, per spongiositatem illius sui corporis. Spiritus congelantur beneficio dissolutionis naturæ fixæ, & corporis, & mixtionis illius cum argento viuo, & ista
si me